

seu illorum administratores ex eleemosynis missarum celebrandarum ullam utenque minimam portionem retineant ratione expensarum, quas subeunt in missarum celebratione, nisi cum ecclesiae, et loca pia alios non habent redditus, quos in usum earundem expensarum erogare licite possint; et tunc quam portionem retinebunt, nullatenus debere excedere valorem expensarum, quae pro ipsomet tantum missae sacrificio necessario sunt subeunda, et nihilominus eo etiam casu curandum esse, ut ex pecuniis, quae supersunt, expensis ut supra deductis, absolute tot missae celebrentur, quot praescriptae fuerint ab offerentibus eleemosynas.»

(5. Unde portio illa necessaria pro expensis manutentionis ut supra nullo modo est detrahenda ex massa communi eleemosynarum manualium missarum celebrandarum, sed ex eleemosyna cujuslibet sacerdotis celebrantis, ut patet ex sequenti declaratione Clementis XI, qui quamvis de anno 1720, noluerit concedere, ut ex numero missarum relictarum altari privilegiato archiconfraternitatis SS. Sacramenti, et quinque Plagarum, in ecclesia S. Laurentii in Damaso, et ad faciendam rem gratam dictae archiconfraternitati applicare fecerit missas 40, pro illis quae a sacristia ejusdem archiconfraternitatis celebratae non fuerant ex titulo dictae detractionis; tamen ad repetitas preces eidem Summo Pontifici porrectas idem hanc gratiam concessit d. archiconfraternitati, ut posset pro se retinere obolum unum ex eleemosyna sacerdotis pro dictis expensis sacristiae, et sacrorum utensilium, ut refertur in Visitatione sacra, die 1 Septembris 1721, a cardin. Zondadario, § 6, ibi: «Quoad missas adventitias satis provisum ex viva vocis oraculo S. M. Clementis XI, habito, a R. P. D. secretario hujus sacrae congr. mediante facultate concessa confratribus retinendi pro utensilibus obolum unum pro qualibet missa manuali, quod in posterum servari mandavit.»

(6. Cumque aliud esset ortum dubium circa intelligentiam ditorum verborum, illud penitus sublatum fuit mediante declaratione R. P. D. Pallavicini dignissimi secretarii sacrae congregat. Visitationis apostolicae, sequentis tenoris. «Il bajocco si deve detrarre dall'elemosina del sacerdote, e non dalla massa comune dell'elemosine, come malamente facevano prima, e gli fu proibito, e con l'autorità del Papa si applicarono altrettante messe di una religione agli obblighi, che erano rimasti non soddisfatti.» Sic refert ad litteram D. Ursaya, tom. V, part. II, disceptat. 26, a n. 17 ad 21, ubi dicit, ita constare ex bilieto ejusdem sibi uti priori d. archiconfraternitatis exhibitio, quod a se in ejus archivo relictum fuit.

(7. Posse episcopos astringere capellanos, et beneficiatos (non censuris) ad providendum de proprio paramenta, respondit sacra congr. Episcop., in *Surrentina* 11 Aprilis 1589, apud Monacell. part. I, tit. 13, formul. 2, n. 56, in fine. Vide Ursavam. t. VII.

part. I, disceptat. 14, per tot., ubi multa ad rem.

(8. «An autem manutentio altarium, quae sunt de jure patronatus, ac ornamentorum necessariorum pro eisdem altaribus spectet ad ipsos patronos, aut ad ecclesiam, in qua dicta altaria sunt erecta, stante consuetudine, quod patroni nunquam fuerint coacti ad dictam manutentionem, sed eandem impensam praestiterit dicta ecclesia, prout hodie supplet impensas mapparum, et omnium paramentorum sacerdotalium. Nec beneficiati, qui habent capellanas erectas in dictis altaribus, possunt eidem manutentioni concurrere, stante redditus tenuitate vix excedentis onera missarum, quae dictis capellanis annexa sunt? Respondit sacra congr. Conc., in *Urbinate*, sub die 10 Martii 1633, ad cap. 7, sess. XXI, et cap. 9, sess. XXII, teneri Ecclesiam ad tramites consuetudinis legitimae, in reliquis prout de jure.» Sic apud Pignatell., tom. V, consult. 15, n. 1.

(9. In casu igitur, quo per tempus legitime praescriptum consueverit ecclesia subministrare manutentionem talium altarium, et providere de sacris utensilibus, tenetur id perseveranter adhuc praestare, argum. cap. *Cum tanto* 11, De consuetudine. Tunc enim censetur ecclesiam fuisse a fundatoribus, seu benefactoribus sufficienter ad id dotatam, et dos ecclesiae censetur etiam dos altarium.

(10. Si tamen ecclesia non sic consuevit dictam manutentionem, et provisionem de sacris utensilibus praestare, tunc cum non censeatur fuisse ipsam ad id sufficienter dotatam, potest fieri praecipuum patronis beneficiarum, ut intra competentem terminum provideant altaria de omnibus necessariis, vel ut dotem praestent, seu augeant sub poena privationis eorum juris, quo competente termino elapso, et non parito, ad privationem procedi potest. Hinc altaria inornata, et indotata posse ab episcopis, et regularibus concedi aliis patronis, qui eis provideant, si proprii patroni post tertiam monitionem cum aliquo intervallo, vel termino non adeo coarctato ab ordinario faciendam id praestare negligant, vel recusent, posseque in tali casu a regularibus, et aliis superioribus ecclesiarum de iis ad libitum disponi, scilicet dirui, vel aliis concedi, saepe saepius in facti contingentia respondit sacra congreg. Episcop., et signanter in *Mutinensi* 2 Maii 1602, et 2 Januarii, et 3 Julii 1602, et 16 Februarii 1603, et 9 Januarii 1604, et 9 Octobris 1618; apud Pignatell., tom. IX, consult. 82, num. 145.

(11. Et praecipuum de dote augenda, seu de novo tradenda fieri quoque potest, etiamsi in fundatione fuerit sufficienter a patrono assignata; et deinde tractu temporis fuerit diminuta; seu penitus consumpta; et in tali casu, si antiquus patronus nolit ipsam dotem augere, seu de novo assignare, post trinam ut supra ei factam monitionem amittit jus patronatus; Fagnan., in cap. *Quoniam* 2, De jure patronatus, n. 5; Reiffenstuel. lib. II *Decretal.*, tit. 28, n. 4;

Pirhing, *ibidem*, n. 9; Pignatell., tom. VI, consult. 15, n. 4, et alii passim.

(12. Et ratio clara est, quia patronus tenetur ad omnia onera altaris, seu capellae, aut ecclesiae, ut tradunt communiter doctores; cum justum sit, ut qui sentit commodum juris honorifici, sentiat etiam incommodum talium onerum, per text. in l. *Secundum naturam est* 10, ff. *Regul. juris*, et cap. *Qui sentit* 53, De regul. juris in 6. Inter ipsa autem onera venit obligatio capellam, seu ecclesiam restaurandi, ac etiam a fundamentis reaedificandi, si aut collapsa fuerit, aut respective ruinam minetur, et ipsam sufficienter dotandi, seu de omnibus necessariis providendi; arg. *Novella* 66, cap. 2, cap. *Placuit* 1, caus. 1, quaest. 2; cap. *Piae mentis* 26, caus. 16, qu. 7; cap. *Nemo* 9, dist. 1 *De consecrat.*; cap. *Cum sicut* 8, De consecrat. eccles., cap. *Quoniam* 3, et cap. *Nobis* 15, *De jure patronat.*, cum similibus, juncto concilio *Trid.*, sess. XIV *De reform.*, cap. 12, et sess. XXI, c. 7. Et sic tenent Lambertin., *De jure patronat.*, lib. I, part. I, quaest. 11, art. 7, n. 3, 5 et 7, et lib. III, qu. 7, art. 5, n. 1; Barbos., *Ad concil.*, sess. XXI, cap. 7, n. 8; et *De potest. episc.*, alleg. 64, n. 16, et alleg. 102, n. 10; Antonell., *De regimin. eccles.*, lib. I, cap. 2, n. 33; Sperell., dec. 60, n. 11 et seq.; Pitonius, *De controversiis patron.*, tom. I, alleg. 12, a n. 4 ad 8; carl. de Luca, *De jure patronat.*, disc. 52, n. 12; Ventriglia, in *Praxi*, part. II, annot. 18, n. 2, et annot. 19, n. 33, et alii passim expresse dicentes, teneri patronum et reparare, seu restaurare, ac etiam, cum opus fuerit, a fundamentis reaedificare capellam, seu ecclesiam, et ipsam providere de utensilibus, paramentis, calicibus, et omnibus aliis necessariis ad divinum cultum, et ad divina celebranda, cum sit onus de jure infixum ossibus patroni, sicuti est onus patrifamilias providere filiam de sibi necessariis.

(13. Si vero patronus ab initio assignavit dotem ita abundantem, ut sufficiat, et pro sustentatione capellani, et pro reparatione ac manutentione capellae, tunc nisi adsit contraria consuetudo, aut certa distincta portio reddituum assignata pro tali manutentione, et necessariorum provisione, tenebitur capellanus, seu beneficiatus ad ipsam manutenendam, et providendam de omnibus necessariis: Genuens., in *Praxi*, cap. 109, n. 13; Pignatell., tom. VI, consult. 15, n. 5; Sperell., dec. 68, n. 11; Ventriglia, cit. annot. 18, n. 10, et annot. 19, n. 33, et alii passim per text. in cap. *Si monachus* 22, caus. 16, qu. 1, cap. *Quicumque* 1, et

UXOR

Haec ad rem notanda.

(1. Uxor per se loquendo tenetur potius cohabitare viro, quam hic illi; id est viri, non autem uxoris est eligere domicilium, seu locum ubi habitent ac simul vivant: *Communis*, quia ut scribit Apostolus, *Ephes. vi, 22, Vir caput est mulieris*. Unde ordinarie

cap. *De his* 3, De ecclesiis aedificandis, cum similibus, juncto concilio *Trid.*, sess. XXI, cap. 7, *De reform.* Et ratio est, quia beneficiatus equiparatur in vita usufructuario, cap. *Presenti* 9, De offic. ordinarii in 6; cap. *Requisitis* 15, De testamentis; cap. *Si quis* 5, De peculio clericorum. Usufructuarius autem tenetur ex fructibus res conservare in bono statu, et ad sartatecta; leg. *Usufructu legato* 7, § 2, ff. *De usufructu*, etc., leg. *Eum ad quem* 7, eod., adeoque, etc. Tum quia beneficiatus sub peccato mortali redditus beneficii suae honestae sustentationi superfluos tenetur erogare in causas pias, ex abunde probatis sub verb. *BENEFICIATUS* a n. 35. Inter causas autem pia respectu beneficiati potissima est reparatio, seu restauratio suae capellae, ac provisio de utensilibus, aliisque necessariis pro ipsa, adeoque, etc.

(14. Et dato, quod nec patronus, nec rector beneficii, aut ecclesiae possint necessaria ministrare, et aliter necessitati providi nequeat, tunc non potest converti in talem necessitatem pecunia, seu eleemosyna destinata pro celebrandis missis, ut voluerunt Riccius, dec. 123, part. II; Genuensis, in *Praxi*, cap. 54, n. 5, et alii, sed omnino celebrandae adhuc sunt tot missae, quot praescriptae fuerint a fundatoribus, seu offerentibus eleemosynas, vel adeunda est Sedes apostolica pro provisione, juxta decreta sacrae congreg. Conc. de celebratione missarum, in responsione ad primum, et septimum, confirmata ab Innocentio XII, constit. incip. *Nuper*, ut recte observavit episcopus Lyciensis, in sua II *Synodo diocesana*, § 2, in annot., et Pignatell., tom. VI, consult. 15, n. 5.

Si autem agatur de beneficiato, et ecclesia parochiali, et nec parochus, nec patronus possint ecclesiam reparare, ac de utensilibus et aliis necessariis ipsam providere, tunc compelli ad id possunt parochiani. Sic expresse statuit concil. *Tridentin.*, sess. XXI *De reformat.*, cap. 7, ibi: «Parochiani omnibus remediis opportunis ad praedicta cogantur.» Et ratio hujus obligationis est clara, quia parochiani percipiunt a praedicta ecclesia sacramenta, et divina, et hoc est opus publicum, et commune, ac concernens omnium utilitatem, et necessitatem. Et sic tenent doctores communiter. Vide verb. *ECCLESIA*, art. 4, n. 63 ad 73, ubi abunde assignatur, ad quos spectet obligatio reparandi, et providendi de necessariis ecclesias tum cathedrales, tum parochiales, ac simplices.

13, qu. 2, ubi : « Unaquæque mulier sequatur virum suum, sive in vita, sive in morte; » et cap. *Pervenit 1*, De conjugio leprosororum, per verba adducenda infra num. 6. Sic novissime decrevit sacra congreg. Concil., in *Firmana* 22 Novemb. 1727, et 17 Ap. 1728, apud *Thesaurum resolutionum sacr. congregationis Concil.*, tom. IV.

(3. Dicitur autem notanter, quod « uxor teneatur sequi maritum justa de causa mutantem domicilium, » v. g. cum talis mutatio domicilii est necessaria ad gubernationem familiæ, vel ad conservandas res familiares, ad effugiendam hostilem insectationem, seu cum ad id cogitur ob morbum, inculpabile exsilium, et hujusmodi, vel cum a principe mittitur ad gubernationem quadriennem, decennem, etc., alicujus provinciæ, aut civitatis, et hujusmodi, quia revera in dictis casibus tenetur uxor ordinarie sequi virum, ut docent doctores communiter, arg. *Si quis necessitate inevitabili 4*, caus. 34, quæst. 2. Secus autem, si vir efficeretur vagabundus, et ante contractum matrimonialem non fuisset talis, quia tunc uxor non tenetur illum sequi hinc inde vagantem, ut fatentur omnes; recte tamen addentes, quod si vir more histrionum jam ante contractum matrimonialem vagari consuevisset, tunc teneretur eum sequi, quia censeretur approbasse consuetudinem, et practicos mores talis viri.

(4. Dicitur etiam notanter : « Dummodo illa mutatio non accidat uxori graviter incommoda, » quia uxor non censetur se obligasse ad sequendum cum tanto suo incommodo, vel periculo, v. g. salutis, vitæ, pudicitia, et hujusmodi, arg. cap. *Si quis necessitate inevitabili 4*, caus. 3, quæst. 2.

(5. Item dicitur notanter : « Vel non sit aliter conventum in pactis dotalibus, seu contractu ante nuptias; » quia si sic fuerit certus locus habitationi constitutus, non potest deinde maritus discedere, nisi gravis causa de novo superveniens, et ante non prævisa id necessario exigat. Et ratio est, quia « contractus ex conventionem legem accipere dignoscuntur » textu expresso in cap. *Contractus 84*, De regul. juris in 6, et pacta sunt omnimode servanda, cap. *Antigonus 1*, et cap. *Qualiter 3*, De pactis, cum similibus.

(6. Ita etiam si uxor ex causa necessaria cogatur mutare domicilium, tenetur maritus eam sequi. Sic colligitur ex cap. *Pervenit 1*, De conjugio leprosororum, ibi : « Quoniam igitur cum vir et uxor una caro sint, non debet alter sine altero esse diutius, mandamus, quatenus, ut uxores viros, et viri uxores, qui lepræ morbum incurrunt, sequantur, et eis conjugali affectione ministrent : » sollicitis exhortationibus inducere non postponas, et tenet Glossa, *ibid.*, verb. *Sequantur*, et communis doctorum, teste Gobat, tom. I, tract. 10, casu 22, num. 736. Et ratio est, quia quod ad mutua obsequia conjugalia maritus et uxor pares sunt, nec ad imparia judicantur, textu expresso in cap. *Si quis uxorem 4*, caus. 32, q. 1.

(7. Conjuges enim æqua obligatione tenentur omni jure simul cohabitare in eadem

domo, mensa, et lecto, ut tenent communiter doctores, recte advertentes, quod obligatio talis conjugalis cohabitationis complectitur tria officia, scilicet habitandi in eadem domo, accumbendi eidem mensæ, et cubandi in eodem lecto, ut optime unus pro omnibus scribit Castropal., *De sponsalibus*, disp. 3, punct. 5, § 1, ibi : « Certum est conjuges obligatos esse jure naturali, et divino simul habitare in eadem domo, ad eandem mensam accumbere, et in eodem lecto jacere; quod si quis conjugum nolit hæc tria præstare, potest a iudice ecclesiastico compelli censuris, et invocato auxilio brachii sæcularis; » per text. in c. *Litteras 13*, De restitutione spoliatorum. Unde *Genes. n. 24*, dicitur : *Quamobrem relinquet homo patrem suum, et matrem, et adhærebit uxori suæ et erunt duo in carne una*. Et in citat. capit. *Pervenit 1*, De conjugio leprosororum :

(8. « Cum vir et uxor una caro sint, non debet alter sine altero diutius esse. »

(9. Potest tamen inter conjuges divortium licite fieri quoad torum, et cohabitationem, justa aliqua interveniente causa. *Vide verb. DIVORTIUM*, n. 18.

(10. Causæ justæ faciendi tale divortium septem generatim assignantur. *Vide ibid.*, a numer. 19 ad 25, ubi omnes adducuntur, et abunde discutuntur.

(11. Afferuntur plures casus, in quibus propter adulterium nequit fieri tale divortium. *Vide ibid.*, a numer. 54 ad 59, et verb. *ADULTERIUM*, art. 3, per tot.

Propter adulterium spirituale, seu lapsum in hæresim, seu gentilismum alterius conjugum potest conjux innocens etiam propria auctoritate licite facere divortium quoad torum, et cohabitationem. *Vide ibid.*, n. 21.

(12. Cum hæc tamen advertentia, quod si conjux innocens propria auctoritate, et sine iudicio Ecclesiæ tale divortium fecit a conjuge in hæresim lapso, et ipse reus hæresis sese ab errore revocaverit, tunc tenetur eum iterum recipere, seu ad eum iterum redire. *Vide ibid.*, n. 22.

(13. Si vero conjux innocens iudicio Ecclesiæ tale divortium fecit, non compellitur conjugem conversum recipere, seu ad eum redire, sed potest religionem intrare, si vult. *Vide ibid.*, n. 23.

(14. Si autem religionem ingredi noluerit, etiam hic redire compellitur. *Vide ibidem*, n. 24.

(15. Uxor adultera post pœnitentiam a marito recipienda est. *Vide verb. ADULTERIUM*, art. 4, a numer. 10.

(16. Uxor adultera separata, si impudice vivat, est puniendi pœna mortis.

(17. Uxor adultera occidens fetum animatum, seu natum infantem, excommunicatur, et punitur ut homicida. *Vide ibid.*, n. 13.

(18. Uxor adultera, sicuti uxor sterilis, quæ artificiose sibi supposuit partum alienum, non tenetur cum periculo vitæ, et magnæ infamiæ manifestare prolem spuriam, seu dictam partum alienum ad reparanda damna legitimorum, seu aliorum, quibus mariti

hæreditas debebatur. *Vide verb. ADULTERIUM*, art. 5, a n. 9 ad 13.

(19. Tenetur tamen dicta uxor adultera, quantum in se est, procurare omni meliori modo, ut illatum damnum legitimis compensetur. *Vide ibid.*, n. 12.

(20. Et si nullo alio modo tale damnum compensare possit, tenetur proli spuria persuadere, si aliunde idonea sit, ut statum ecclesiasticum, vel religiosum amplectatur, vel vitam cælibem ducat. *Vide ibid.*, n. 13.

(21. Uxor in adulterio deprehensa nequit a marito ob id occidi. *Vide verb. ADULTERIUM*, art. 2, a n. 10 ad 14; et alia ad rem *vide verb. MARITUS*, n. 11, 12 et 13.

(22. Uxor propter adulterium amittit dotem, et ejus proprietates transit ad maritum. *Vide ibid.*, n. 9, et verb. *DOS*, art. 1, num. 17, et art. 3, numer. 13.

(23. Et tunc si uxor propter adulterium sit rejecta a marito per divortium, et bona aliunde non habeat ad sui sustentationem, pertinebit ad iudicem a marito necessaria obtinere, si dotem uxoris in delicti pœnam lucrari velit. Layman, lib. v, tract. 10, part. III, cap. 2, numer. 2, vers. *Adde secundo*; Molina, tract. 3, disp. 90, n. 7, et alii passim.

(24. Si uxor sine necessaria causa recedat, et divertat a marito, maritus non tenetur ei alimenta præstare, quamvis dotem ab ea acceperit : Layman, *loco cit.*, num. 2, vers. *Præterea*; Sanchez, lib. ix, disp. 4, num. 20, et alii passim. Et ratio est, quia qui non facit quod debet, non recipit quod oportet, arg. 1. *Si ea conditione 3*, cod. *De conditionibus insertis*; uxoris autem officium est, ut maneat in viri consortio et obsequio, capit. *Hæc imago 12*, caus. 33, q. 5, et cit. jur. *supra*, num. 1 et 2. Unde si id præstare nolit, merito ei alimenta denegantur; secus vero si ob justam causam recederet, seu diverteret a marito, ut fatentur omnes.

(25. An, et quando dos quoad proprietatem, et usumfructum spectet ad uxorem, eamque ipsa repetere possit, vel non. *Vide verb. BONA*, art. 4, num. 2 ad 7, et verb. *DOS*, per tot., et signanter art. 1 et 3, verb. *USUMFRUCTUS*, a num. 21 ad 26.

(26. Quando uxor possit petere, et teneatur reddere debitum conjugale, vel non? *Vide verb. MATRIMONIUM QUOAD DEBITUM CONJUGALE*, per totum.

(27. Uxor, sicut et maritus exercens opus conjugii ob solam voluptatem non vacat culpa veniali. *Vide verb. CONJUGES*, n. 77.

(28. Uxor in actu conjugali cum suo marito se morose delectans in alio velut præsentente peccat mortaliter; et addit speciem adulterii in confessione explicandam. *Vide ibid.*, num. 78, et verb. *ADULTERIUM*, art. 1, num. 7, et v. *DELECTATIO MOROSA*, n. 26.

(29. Delectatio morosa de actu conjugii inter conjuges præsentis, dummodo absit periculum pollutionis, non est peccatum mortale. *Vide d. verb. CONJUGES*, numer. 79, et verb. *DELECTATIO MOROSA*, n. 24.

(30. Imo conjux neque mortaliter peccat, si de maritali copula, altero conjuge absente

cogitans, in re cogitata morose delectetur. *Vide d. verb. DELECTATIO MOROSA*, num. 15, et d. verb. *CONJUGES*, n. 90. *

NOTA ROM. THEOL.

* Quæ numeris 29 et 30 dicuntur, plena periculi sunt. Nam quis peccandi periculum excludat in conjugato, dum morose delectetur cogitando actum conjugii, sive copulam? venerea enim sensitiva delectatio nihil aliud est, nisi interna pollutionis inchoatio, quæ aliunde oriri non potest, quam ex seminis commotione, et fluxu. Id vero mortiferum est etiam in conjugibus, dum ad copulam non ordinetur.

RESPONSIO AUCTORIS.

Quæ numeris 29 et 30 profero, sub conditione produco, dico enim ibi expresse : « dummodo absit periculum pollutionis. » Sed ad rem vide quæ tradidi ibi, et verb. *CONJUGES*, n. 79 et 80, et verb. *DELECTATIO MOROSA*, a n. 24 ad 32, in fine, et verb. *LUXURIA*, a n. 88 ad 95.

(31. Omnes tactus, oscula, amplexus, turpiloquia, aspectus lascivi, et hujusmodi, quæ fiunt inter conjuges sine ordine ad copulam, si fiant cum periculo pollutionis in uno, vel altero, vel pertineant ad Sodomiam quamdam inchoatam, sunt peccata mortalia, alias non sunt nisi venialia. *Vide d. verb. CONJUGES*, n. 81, verb. *LUXURIA*, n. 89, verb. *TACTUS*, n. 12, 13 et 14.

(32. Conjuges an, et quando possint, vel non religionem ingredi. *Vide d. verb. CONJUGES*, a num. 3 ad 54.

(33. Maritus an, et quando possit, eum, vel sine licentia uxoris ad sacros ordines promoveri. *Vide d. verb. CONJUGES*, a num. 57 ad 72.

(34. Quid de conjugibus infidelibus, quando unus convertitur, et alter non, seu quando ambo convertuntur, et quid de eorum matrimonio, et prole. *Vide d. verb. CONJUGES*, a num. 35 et 45, verb. *HÆRETICUS*, a n. 10 ad 26, et verb. *MATRIMONIUM QUOAD IMPEDIMENTA*, art. 1, n. 95 et seq.

(35. Plures uxores simul habere est prohibitum jure divino. *Vide verb. POLYGAMIA*, n. 7.

(36. Uxor an, et quas donationes possit facere marito, et maritus uxori. *Vide verb. DONATIO*, art. 2, a n. 13 ad 20.

(37. Uxor de quibus bonis habeat dominium, vel usumfructum, et de quibus, et quando possit disponere, et facere donationes, et eleemosynas, et succurrere suis parentibus, filiis, fratribus, ac sororibus. *Vide verb. ELEEMOSYNA*, n. 54.

(38. Uxor, sicut et maritus, quibus prius subvenire debeat in extrema, gravi, et communi necessitate. *Vide verb. NECESSITAS*, a n. 20 ad 37.

(39. Uxor quando possit, vel non, irritare vota mariti, et maritus vota uxoris. *Vide verb. VOTUM*, art. 4, a n. 45 ad 49.

(40. Uxor transiens ad secundas nuptias privatur tutela filiorum prioris matrimonii, textu expresso in l. *Matres 2*, cod. *Quando*

mulier tutelæ officio fungi potest, ibi: « Nam si malunt alia optare matrimonia, tutelam administrare non debent; » et concordat authent. *Sacramentum*, et l. *Si pater* 3, cod. eod.

(41. Item perdit etiam curatellam eorum; l. *Quod si nolit* 31, § 14, ff. *De adilitio edito*. Vide verb. *NUPTIÆ*, n. 18 et 19.

(42. Imo uxor transiens ad secundas nuptias amittit quicquid a priore marito prædefuncto donatione, testamento, aut quomodocunque acquisiuit, et transfert quoad proprietatem ad filios prioris matrimonii, retento sibi solo usufructu, textu expresso in l. *Femina* 3, cod. *De secundis nuptiis*, ibi: « Feminae quæ susceptis ex priore matrimonio filiis, ad secundas post tempus luctui statutum transierint nuptias, quicquid ex facultatibus priorum maritorum sponsalium jure, quicquid etiam nuptiarum solemnitate perceperint, aut quicquid mortis causa donationibus factis, aut testamento jure directo, aut fideicommissis, vel legati titulo, vel ejuslibet munificæ liberalitatis præmio ex bonis, ut dictum est, priorum maritorum fuerint assecutæ, id totum ita, ut perceperint, integrum ad filios, quos ex præcedente conjugæ habuerint transmittant. . . Atque habeant potestatem possidendi tantum, atque fruendi in diem vitæ, non etiam alienandi facultate concessa. » Et concordant lex *Hæc edictali* 6, § 1, cod. eod. *De indicta viduitate*, et authent. *De nuptiis*, § *Si vero expectes*, collat. 3; et tenent Sanchez, *De matrimo.*, lib. vii, disp. 88, n. 2; Joannes Angelus Bossius, *De matrimonio contract.*, cap. 11, num. 275; Rosignolus, in *Alias de matrimonio controversias*, contract. 15 *De matrimo.* IV, prænot. 5, n. 13 et seq.; Busemb., et La Croix, lib. iii, part. ii, numer. 1163, et alii passim.

(43. Et si talis uxor transeat ad secundas nuptias elapso anno luctus, amittit insuper etiam usumfructum. Sic Baldus, l. 1, n. 6, cod. *De secundis nuptiis*; Surdus, *De alimentis*, tit. 7, qu. 23, num. 14; Sanchez, *De matrimo.*, lib. vii, disput. 87, n. 10; Joannes Angelus Bossius, *loc. cit.*, n. 266; Rosignol., *loc. cit.*, prænot. 3, num. 25, et alii. Et ratio est, quia major est culpa transitus ad secundas nuptias durante anno luctus, quam ipso jam elapso, ut clare patet ex leg. 1 cod. *De secundis nuptiis*, et authent. *De secundis nuptiis*, § *Prima si quidem*, collat. 4, ubi uxor transiens ad secundas nuptias durante anno luctus incurrit infamiam juris, quam non incurrit uxor transiens ad secundas nuptias anno luctus jam elapso: ergo si uxor cum transit ad secundas nuptias jam elapso anno luctus, ubi est minor culpa, privatur sola proprietate, retento usufructu; cum transit ad secundas nuptias durante anno luctus, ubi est major culpa, privanda est non solum proprietate, sed etiam usufructu.

(44. Cum pro dote uxoris nondum soluta a socero accipit maritus in pignus fundum fructiferum, ejus annui fructus superexcedant interesse, quod juste exigere voluit-

set dictus maritus ratione dotis, tunc ille excessus fructuum super interesse dotis est restituendus socero, seu ejus hæreditibus, vel computandus est in sortem. Sic Baldus, in l. *Cum quidam* 31, § 2, cod. *De jure dotium*; Alexander, in l. *In insulam* 42, § 2, ff. *Solutio matrimonio*; Lupus, *De usuris*, in l. *Curabit* 5, cod. *De actionibus empti*; Rosignolus, *Contract.*, contr. 3. *De mutuo*, disquisit. 5, n. 2, et 3. Et ratio est, quia fructus pignoris respectu mariti pignoratitii est ad supplendum defectum fructuum, quos perciperet a dote, si ipsam habuisset, ut de se patet: ergo non debet extendi ultra valorem fructuum a dote percipiendorum. Cessante enim sine, ratione, et causa concessionis, cessare debet et ipsa concessio, cap. *Cum cessante* 60, *De appellat.*, l. *Adigere* 6, § 2, ff. *De jurepatronat.* et restricta causa restringi debet et effectus, quem respicit eadem causa; l. *In agris* 16, ff. *De acquirendo rerum dominio*, cum ratio concessionis, et legis sit anima ipsius concessionis, et legis, l. *Cum ratio* 7, ff. *De bonis damnat.*, adeoque, etc.

(45. Uxor an possit sibi eligere sepulturam, et si non elegerit, ubi sit sepelienda. Vide verb. *SEPULTURA*, a n. 73 ad 80.

(46. Uxor soror improprie dicitur cognata, sicuti etiam uxoris frater improprie dicitur cognatus, textu expresso in cap. *Quod autem* 5, caus. 36, q. 5, ibi: « Quod autem frater, sororve uxoris tuæ cognati tui dicuntur, æquivocationis jure fit, et necessitate vulgaris appellationis potius, quam ulla causa cognationis. » Et concordat cap. *Primo gradu* 6, eadem caus. et quest., ubi assignantur nomina graduum superiorum, sive inferiorum, sive ex latere venientium. Vide ibi, ubi fuse de omnibus.

(47. Uxor, sicut et maritus, si in extrema necessitate baptizaret proprium filium, non impediretur debitum petere, textu expresso in c. *Ad limina* 7, caus. 30, q. 1.

(48. Nec uxor, et maritus peccant, si simul suscipiant, vel teneant alienum puerum in baptismo, nec prohibentur sibi debitum reddere: solo enim jure antiquo hoc erat eis vetitum propter cognationem spirituales, quam tunc contrahebant, quæ cum modo sublata sit a concilio *Tridentino*, sess. xxiv, *De reformat. matrimonii*, non videtur quo jure prohibeantur tenere Navarr. in *Manual.*, cap. 22, n. 86; Sanchez, lib. vii, disput. 57, num. 5; Barbosa, *De offic. et potest. episcop.*, part. ii, alleg. 30, num. 57, et alii passim. Sanctus enim Pius V, constit. incip. *Cum illius vicem*, declaravit patrinum, et matrinam non contrahere inter se cognationem, nec impediri inter se conjugi.

(49. Uxor prægnans crebras et numerosas choreas ducens cum agitatione, ob periculum in quod injicit seipsam et fetum, regulariter non eximitur a peccato gravi. Vide verb. *MATER*, n. 12.

(50. Uxor notorie adultera cum solo consensu viri non potest religionem ingredi; sac. congregat. Episc. et Reg., in *Romana*.

seu *Florentina professionum*, 16 Febr. 1704. Ponente card. S. Clementis, apud Ursayam in tom. II, part. v, discept. 24.

(51. Uxor inscio et invito marito regulariter loquendo non potest exponere ludo bona ejusdem mariti, nec bona dotalia, et communia; et si exponat, et amittat, sunt a victore restituenda. Vide verb. *LUDUS*, n. 32.

(52. Et si exponendo ludo talia bona, quæ ignorante collusore alienare non potest, notabilem summam lucretur, tenetur eam restituere. Secus autem, si collusor fuerit conscius. Vide *ibid.*, n. 33.

(53. Uxor potest similia bona moderate ludo exponere, inconsulto et etiam irracionabiliter invito marito in pluribus casibus, qui assignantur. Vide *ibid.*, num. 34.

(54. Uxor potest de jure communi ludo exponere, inconsulto et invito marito, bona sua patrimonialia non data in dotem, et bona paraphernalia. Vide *ibid.*, num. 35.

(55. Super extractione clerici conjugati facta ad formam bullæ causa uxoricidii cum propinatione veneni, et prætensa qualitate prodilionis, injungitur episcopo, ut perficiat processum, et transmittat, et interim caute custodiat: sacra congregatio Immunit., in *Ostunen.* 23 Februarii 1696, lib. i *Decretor.* Vall., pag. 172.

(56. Uxores clericorum conjugatorum gaudent privilegio fori, et aliis exemptionibus competentibus suis maritis, durante illorum vita: sac. congreg. Immunit., in *Meliten.*, 20 Novemb. 1640, lib. iii *Decr.* Paul., pag. 134; in *Oppiden.* 18 Julii 1662, lib. *Decret.* Rocci, pag. 415; in *Bisinianen.* 18 Novembr. 1653, lib. v *Decret.* Paul., pag. 24.

(57. Uxores clericorum conjugatorum gaudent privilegio fori, tam in civilibus, quam in criminalibus, ita ut nequeant carcerari, nec personaliter astringi a judice laico; non autem gaudent exemptione a gabellis, nisi adsit consuetudo, durante tamen vita clericorum, et cohabitatione cum ipsis: sacra congregat. Immunit., in *Neriton.* 17 Januarii 1628, lib. i *Decretor.* Paul., pag. 80; in *Meliten.* 11 Januar. 1633, lib. ii *Decr.* Paul., pag. 147.

(58. Uxores clericorum conjugatorum, et oblatorum habentium qualitates requisitas gaudent privilegiis, quibus gaudent earum mariti, vita istorum durante: sacra congreg. Immunit., in *Baren.* 22 Septembr. 1648, lib. iv *Decretor.* Paul., pag. 59.

(59. Uxores clericorum Græcorum gaudent immunitatibus, exemptionibus, et privilegiis, quibus gaudent ipsi clerici durante vita ipsorum clericorum: sacra congreg. Immunit., in *Una regni Neapolitani* 18 Februarii 1631, l. ii *Decret.* Paul., pag. 96.

(60. Uxores, et filii clericorum Albanensium viventibus patribus gaudent privilegio fori, et exemptionum ipsis patribus competentium; mortuo vero patre, gaudent, si concurrat consuetudo, sacra congreg. Immunit., in *Rossanen.* 27 Maii 1654, lib. v *Decret.* Paul., pag. 42, et 4 Sept. 1654, lib. *Decret.* Rocci, pag. 32.

(61. Uxores diaconorum Salvaticorum gaudent privilegio, et exemptionibus competentibus suis maritis durante eorum vita: sacra congreg. Immunit., in *Meliten.* 20 Novemb. 1640, lib. iii *Decretor.* Paul., pag. 154, seu pro tempore, quo eorum mariti sunt diaconi Salvatici, in *Hyercacen.*, 4 Julii 1645, *ibi*, pag. 254.

(62. Uxor cursoris nuntiaturæ non gaudet privilegio fori: sacra congreg. Immunit., in *Florentina*, 15 Decemb. 1676, lib. i *Decret.* Altoviti, pag. 1316.

(63. Causam uxoris fiscalis curiæ episcopalis cognoscat episcopus: sacra congreg. Immunit., in *Fanen.* 22 Junii 1655, lib. v *Decret.* Paul., pag. 67.

(64. Contra uxorem, quæ blande extrahens maritum e loco iumuni birruariis ab ipsa vocatis tradiderat, episcopus procedat sua auctoritate ordinaria: sacra congregat. Imm., in *Camerinen.* 13 Maii 1698, lib. ii *Decret.* Vall., pag. 153.

(65. Uxorem, quæ occidit proprium maritum dormientem, et postea confugit ad ecclesiam, episcopus tradat curiæ sæculari: sacra congreg. Immunit., in *Cremon.* 27 Decemb. 1626, lib. *Scripturarum veterum*, pag. 77.

(66. Hic juvat ad eruditionem adducere, quæ de uxore, muliere, seu femina habet D. Ursaya, in *Miscellaneo sacro et profano* 1 et 2, litt. F. M. et V, ac in *Inst. crimin.*

(67. Pessima res uxor, poterit tamen utilis esse, Si breviter moriens dat tibi quicquid habet.

(68. Ducere si quam vis, teneat P quinque puella: Sit Pia, sit Prudens, Pulchra, Pudica, Potens.

(69. Uxoris uxorem ducas, non expedit uri: Conjugis in gremio mortificanda caro est.

(70. Uxores ego tres vario sub tempore nactus: Cum juvenis, cum vir, factus et inde senex. Propter opus prima est validis mihi juncta sub annis: Altera propter opes, tertia propter opem.

(71. Uxor turpitudinis patronus ille est, qui celat crimen uxoris. Sanctus Hieronymus, in *Matth.* c. vii, relatus in canon. *Sicut crudelis* 32, q. 1.

(72. Uxorem qui pauper accipit, ter fit miser.

(73. Cum uxore bini sunt jucundissimi dies: alter quo ducitur; alter vero quo mortua effertur. *Philippid.*

(74. Uxor, amice, tibi semper mala, cum male tractas, Fit pejor; sed fit pessima, quando bene. Sed bona, si moriatur, erit, melior tamen, id te Si faciat vivo, ac optime si prope.

(75. Imperet ipsa nihil, quidvis tamen impetret uxorem. Utere nec serva conjugem, nec dominam.

(P. Casalich., *Nell'utile col dolce*, decad. 4, argut. 5.)

(76. Uxor bonæ partes his verbis describuntur in *Tob.* x, 13: *Honorare soceros, diligere maritum, regere familiam, gubernare domum, et seipsam irreprehensibilem exhibere.*

(77. Uxor qualitates explicantur a Demosthene his verbis relatis a P. Casalich., *Nell'utile col dolce*, decad. 13, argut. 7: Interrogatus Demosthenes qualem uxorem ducere oportet, respondit: « Divitem, ut te sustentet, nobilem ut ornet, juvenem ut ser-